



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

V. Illustrissimum Principem, in Academiâ instituendâ, Ecclesiasticorum, & Religiosorum hominum commodum & dignitatem spectasse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29975

CAPUT V.

Illustrissimum Principem, in Academia instituenda, Ecclesiasticorum, & Religiosorum hominum commodum & dignitatem spectasse.

PRæcipuum verò tibi, Princeps Illustrissime, studium semper fuit, ne ea pars gregis CHRISTI, quæ eximiam quandam vitæ sanctimoniam profiteretur, nullis, quæ quidem cum suo more & instituto congruerent, commodis, vel ornamentis careret. Quoniam verò omnes Ecclesiastici ordinis viri, in eo præcipuam quandam sunt gloriam adepti divinitus, quòd divinam illam mensam, in qua Agnus DEI qui tollit peccata mundi, situs est, circumstant, atque, ut alicubi loquitur D. Gregorius Nazianzenus, *approquiquant ad appropinquantem DEUM*, propterea magnis largitionibus, & impensis eos ad dignitatem tanti sacramenti complectendam animò, & dignâ pietate colendam excitare studuisti. Itaque constituto annuo vectigali imprimis lauto & magnifico, solennem ejus pompam, quæ post Pentecosten quotannis instituitur, celebriorem augustioremque reddidisti. Neque eo contentus, nullum prætermisisti in tota tua diœcesi cœnobium, quod non perpetuis vectigalibus auxeris, eo pacto, ut quoniam à plerisque hâc tempestate non, quanti par est, fieret illa victima sancta, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, ipsis guræ esset certis eam, statisque honoribus prosequi. Nullus porrò honor videtur tantum Sacramentum perinde decere, atque ipsorum Ecclesiasticorum, qui ejus administrationi sunt consecrati, morum integritas, atque scientia. Si enim rectè & ordine fit in Ecclesia, quòd sine lumine nunquam Eucharistia deferatur, ut nempe profiteamur in ea verè esse præsentem eum, qui à sapiente dicitur, *candor lucis æternæ*, ut ait Honorius III. quantò magis elaborandum est, ne qui eam conficiunt, aut certè conficientibus ministrant, Sapientiâ, de qua ibi est sermo, vacent? Nam,

ut

*Orat. ad
150.
episcop.*

*Sapient. 7.
v. 26.
Can. Sane
cum olim
de celeb.
Miss.*

ut ibidem legimus, *Neminem diligit DEUS, nisi eum qui cum Sapientia inhabitat. Est enim pretiosior sole.* Qui locus aliquantò est in Græco illustrior, ubi legimus τὸν σοφία συνοικεῖντα, id est, qui cum sapientia, velut conjuge, habitat. Liceat autem nemo justus, quamvis litterarum rudis, sapientiæ sit expers, docet tamen Apostolus, quis sit ille, qui ardentiore quodam amore diligit Sapientiam. nempe : *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Quantum enim cæteri otii in obsequio feminae, in educatione liberorum, in procuratione rei familiaris consumunt, tantum ei suppeditat ad serviendum præcepto Apostoli : *Attende tibi ipsi, & doctrinae.* Quemadmodum enim lumen & in se purum quiddam atque præclarum est, & naturâ suâ factum ad alia quoque illustranda : ita hominem Ecclesiasticum, quem CHRISTUS Dominus *lucem mundi* non dubitavit appellare, decet non modo omni erroris, aut flagitii notâ carere, sed etiam vitæ innocentis exemplis, & præstantis scientiæ luce cæteris omnibus viam ad Sapientiam ostendere. Igitur qui sic comparatus est, is demum est, qui sapientiam sole longè clariorem, quasi quibusdam sempiternis nuptiis desponsam, atque devinctam habet. Ejusmodi si omnes essent, qui altaria Christianæ Ecclesiæ circumstant, ejusque opibus aluntur, quis superiorum temporum felicitatem desideraret ? Quid enim tot homines tenebrarum, & errorum non discuterent, si cum æternæ sapientiæ luce perinde atque sponsa essent copulati ? quis talibus ducibus non omni celeritate ad veritatis arcem convolaret ? quis tam abhorrens ab omni studio virtutis, qui non se ipse retexeret ? Talium hominum copiam ut haberent majores nostri, sedulò curabant, ut qui ad tam excellens degendæ vitæ genus à DEO vocarentur, in omnibus, quæ cum eo non discreparent, liberalibus artibus expolirentur. Audi enim, Princeps Illustrissime, quid præcipiat Concilium Aquisgranense, sub Ludovico Pio Cæsare, in quo Canonicis vivendi regula è sanctorum Patrum monumentis est proposita, quæ regula cùm in aliis Ecclesiis

Ger-

Ibid.
vers. 28.

1. Cor. c. 7.
v. 32.

1. Tim. 4.

Matth. 5.

Gobelinus
at. 6.
cap. 64.

Lib. 1. de
morib. Ecc.

Germaniæ aliquot sæcula, tum in Paderbornensi usque ad Bernardum IV. ejus nominis Antistitem, id est, usque ad annum MCCXXVIII. viguit. In ea igitur cap. CXXIII. sic habetur: *Religiosissimè ordinem canonicum servant, & Prælati suis, ac Magistris honorem debitum humiliter impendant: ut horis canonicis divinum officium devotissimè expleant: intus forisque non solum habitu, & actu, sed etiam ipso incessu irreprehensibiles existant: ut non otio vacent, non vaniloquio inserviant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant, sed potius aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis, ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis aut otiosus existens, stipendia Ecclesiæ inofficiosè accipiat: ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem, & aliarum scripturarum sanctarum lectiones perlegant.* De cœnobiis verò, quis ignorat ea fuisse, quod de Corbeia nostra nominatim legimus, diversoria, & habitacula doctorum, & piorum virorum? qui, ut loquitur D. Augustinus, *contemptis ac desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul atatem agebant, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nullà superbiâ tumidi, nullà pervicaciâ turbulentis, nullà invidentiâ lividi; sed modesti, verecundi, paciati concordissimam vitam, & intentissimam in DEUM, gratissimum ipsi munus offerebat, à quo ista posse meruerant.* At nostrâ tempestate, postquam Ecclesiasticorum hominum ad alia traductis animis, illæ laudabiles Pietatis & Doctrinæ exercitationes obsoleverunt, nihil est quod miremur, tantam vitiorum colluviem in Ecclesia DEI extitisse. Ubi nunc veteres illi Religionis vindices, & fatores? ubi sacri oratores? Ubi experientes animorum medici? Ubi divinarum litterarum periti? Ubi illi cælesti quâdam caritate præditi Antistites? Sed quid hæc sublimiora commemoro? quis non totum se fluxis commodis? quis non nefariis volu-

voluptatibus dedit? Quid causæ esse existimamus? num eam, quæ imperitè & stultè blaterant non minus perfectæ sanctitatis, quàm salutaris doctrinæ adversarii Prædicantes? Clamant illi observari non posse cælibatum: plus imponi Ecclesiasticis viris, quàm eorum humeri ferre possint. Non est ea profectò, non est. Si enim D. Augustini temporibus, quando, ut ipse narrat, plerumque ad continentiam clericorum sarcinam subeundam capiebantur inviti, eam susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducebant; cur desperent, qui sponte hoc vitæ genus delegerunt, idem sibi proclive fore, si eandem, quam viri illi sancti, viam insistant? Da mihi hominem à prima pueritia pietatis officiis, & eruditione omni excultum, cui dulce sit inhærere contemplationi veritatis, eamque cùm in rerum naturalium scientia, tum in diviniore, & de cælo delapsa, omnibus vestigiis indaget, ac denique eam cognitionem, non ad quæstum auramve popularem, sed ad unius DEI Immortalis inflammandum cùm in suo, tum in ceterorum mortalium pectoribus amorem conferat: nego huic homini otium futurum ad ea cogitanda, sine quibus hi mortalium infelicissimi se vivere posse diffidunt. Jam verò, quoniam aliud mortales in nostrorum temporum moribus intuentur, nimirum supra fidem eis videntur, quæ de majorum nostrorum incredibili sanctitate memorantur. Postquam verò hæc exempla deserunt, religionis quoque ipsius auctoritas, quæ plurimum apud rudes animas illis sustinebatur, in dubium vocari, aut certè non tanti æstimari cœpta est. Ideò vir doctissimus, atque optimè de re Catholica meritis Fredericus Staphylus Osnabrugensis, negat, præter rectam juventutis institutionem, aliam superesse, exortas de religione lites sedandi, viam. Adjungam ejus verba, quòd die natali primæ in Westphalia Academia, hominis Westphali, tantâ gloriâ in Academia Ingolstadiensi nostro sæculo versati non meminisse, nefas propemodum esse videatur. Is igitur in episto-

*Lib. 2. de
adult. con-
jugiis c. 20.*

la, quâ Marci Anachoretæ aureos libellos, è Græco ab se in Latinum conversos, inscribit, & dedicat Petro Canisio Societatis JESU celebri Theologo, postquam est questus cæteris in artibus non nisi peritorum judicia requiri, in rebus divinis indoctissimum quemque, quod commodum sit, sequi: ad extremum hæc addit. *Unicum fuit olim, & satis efficax his malis remedium, auctoritas conciliorum: quæ quondam pietate sacerdotum apud omnes sacrosancta habebatur, jam propter peccata nostra labefacta est, bellisque in dies magis vilescit, peneque deletur apud universos. Sola spes ferme est in puerilibus scholis, ut seminarium Ecclesie, quod in senibus jam emarcuit, in pueris resuscitetur.* Hoc adeò consilio, Princeps Illustrissime, non modò jam olim pueriles scholas, verùm etiam hanc Academiam tuis opibus condidisti, quam iccirco iis solis disciplinis consecrari voluisti, quæ canonicis institutis Ecclesiastico homini sunt permiffæ. Notum enim est iis juris civilis, & Medicinæ tractationem interdici. Fuit scilicet tibi curæ ea studia excitare, ad quæ colenda, refrigerente indies cælesti caritate, omnibusque quæstum, & popularem auram spectantibus, pauci sponte appellunt animum.

CAPUT VI.

Propriè dictam Academiam sine Jurisprudentia esse posse.

Verùm, Illustrissime Princeps, hîc ego, quod pace fiat tuâ, cogor nonnullis rerum imperitis respondere, qui cùm audiunt, necdum tradi in Academia tua Jurisprudentiam, opinantur aliquid ei ad Universitatis nomen deesse. Eos ego non meis, sed hominum juris peritorum verbis hunc errorem dedocebo. Igitur Jacobus Middendorpius Westphalus, Theologiæ & Juris scientiâ clarus, libro, quem de